



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Poggii Florentini Oratoris || Clarissimi, Ac Sedis Apo.||  
Secretarii Opervm ||**

**Poggio Bracciolini, Gian Francesco**

**Argentinae, 1513**

**VD16 ZV 12623**

Kolophon

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14341**

## FACETIAE POGGII

Pulchrum dictum pulchritudinem mentiens,

Ibant per viam Florentiæ colloquentes socij duo: quorum unus erat oblongus & corpulentus ac facie subnigra, Is conspecta a dolescētula cum matre ambulante. Hæc inquit iocandi gratia / iuuenula formosa est admodum ac venusta. Illa ad hæc verba insolentior facta: nequaquam hoc de vobis dici posset / respondit. Immo recte inquit alter / si quis prout ego feci vellet mentiri.

¶ Facetum mulieris responsum / sed parum honestum.

Narrauit mihi quidam familiaris Hispanus dictum mulieris falsum: quod mihi visum est nostris confabulationibus adiciendum. Duxerat viduam in uxorem vit quidam ætate profectior: qui cum prima nocte dum matrimonio fungerent / percipiens uxoris cellam uberiorem quam putarat. Mea uxor inquit / hæc tua cuncta amplior est numero gregis mei. Tum mulier: Hoc inquit tua culpa accidit. Nam vir meus qui obiit ( misereat Deus anime sue ) ita hanc adimplebat curiam ut hedi per sepe extra tabulata pro loci angustia proflire cogentur. Responsum falsum & venustatis plenum.

¶ De dentibus casum minantibus similitudo obscena

Episcopus mihi notus senior / querebat quosdam dentes sibi cecidisse / quosdam ita labare ut eorum casum timeret. Tum unus ex familia. Ne timeatis inquit / dentium casum. Petenti causam episcopo. Quia testiculi mei respondit / iam quadraginta annis pependerunt casuro similes: & tamen nunquam ceciderunt.

## CONCLUSIO.

Visum est mihi eum quoque nostris confabulationibus locum adicere / in quo plures earum tanquam in scena recitate sunt. Is est Bugiale nostrum: hoc est mendaciorum veluti officina quædam olim a secretarijs institutum iocandi gratia. Constat fuisse enim Martini pontificis usque tempore quendam eligere in secretiori aula locum: in quo & noua referebantur: & varijs de rebus / tum laxandi ut planius animi causa / tum serio quandoque colloquebamur. Ibi parcebat nemini in lacessendo ea quæ non probabantur a nobis: ab ipso per sepe Pontifice in initium reprehensionis sumpto. Quo fiebat ut plures eo conuenirent: veritatem ab eis ordiremur. Erat in eo Princeps fabulator Ragellus Bononiensis: cuius nonnulla in confabulationibus cõcedimus. Antonius item Luscius qui sapius inferitur: vir admodum facetus. Cincius quoque Romanus: & ipse iocis deditus. Nos quoque plura e nostris addidimus non inuisa. Hodie cum illi diem suum obierint / desijt Bugiale / tum temporum / tum hominum culpa: omnisque iocandi confabulandi que consuetudo sublata.

ARGENTINÆ  
Impensis prouidi IOANNIS  
KNOBLOVCH I: litterario prelo  
IOANNIS SCHOT  
pressum hoc opus  
POGGII sub annũ Dñi  
M D XIII. Kalen̄,  
Septembris